

respicit ut materiam circa quam versatur, respondetur hunc actum diversum sine dubio esse posse ab eo de quo agimus; sicut enim orare actus esse potest ab adoratione diversus, ita et gratias agere, quamvis in eandem virtutem religionis omnes referantur, ut latius tractat D. Thomas 2. 2, q. 83, a. 17, et q. 106, a. 1, ad 1; posset vero ipsamet gratiarum actio sumi in notam adorationis, sicut de oratione diximus, sect. 1. Et idem dicendum est de satisfactione, quæ pro peccatis in Deum commissis illi offertur; est enim ex se actus hic, ab illo cultu de quo nunc agimus, valde diversus, ut latius in materia de pœnitentia tractandum est.

7. *Responsio ad argumenta.*—Ad rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur, distinctionem rationis inter attributa divina non semper sufficere ad virtutes vel earum actus distinguendos, nisi vel diversus modus operandi nostrarum potentiarum ad distinctionem efficiendam concurrat, ut in amore et cognitione videre licet; vel certe in diversa habitudine, seu ratione quæ in talibus attributis consideratur, honestas veluti genere diversa reperiatur, ut contingit in charitate et spe, quarum prior ad amorem amicitiae, posterior vero ad amorem concupiscentiae pertinet; in præsentem vero nulla ratio hujus distinctionis reperitur.

8. Ad primam confirmationem respondeo, duliam, prout Deo ut supremo domino accommodatur, revera latriam esse; vocari vero ab Augustino duliam, tum ut indicet omnem rationem veræ adorationis in cultu Deo debito eminenter contineri, ut insinuavit D. Thom. 2. 2, q. 103, art. 3, ad 1; tum etiam quia, sicut nomen domini aliquo modo commune est Deo et creaturæ, ita et nomen duliæ, cuius ratio in dominio fundatur, commune est utrique, quamvis nomen latriæ soli divinæ adorationi tributum sit, ut diximus. Ita D. Thom., in 3, d. 9, q. 2, art. 1, ad 1. Sed urgebis, ex hac responsione sequi, latriam et duliam, prout Deo attribuuntur, non esse adorationes specie diversas, sed eandem conceptibus vel nominibus generis et speciei conceptam vel nominatam; consequens est contra D. Thom., art. 2, ubi hoc exemplo probat distinctionem latriæ et duliæ respectu Christi secundum diversas rationes. Respondetur D. Thomam non uti illo exemplo, ut efficaci probatione, sed solum ut per quamdam proportionem rem declaret, ut Cajetanus insinuavit. Nam, sicut in Deo propter ra-

tiones adorandi nostra solum conceptione et ratione distinctas, duo etiam conceptus et denominationes adorationis distinguuntur, ita in Christo, propter duas rationes adorandi re distinctas, poterunt duæ adorationes specie distingui.

9. Ad secundam confirmationem patet responsio ex dictis; nam si illa tria genera sacrificiorum ad divinum cultum proxime referantur, poterunt quidem in materia vel actu exteriori differre, non tamen in interiori actu, seu ratione formali cultus; si vero unum referatur ad Dei adorationem et testimonium divinæ excellentiæ, aliud in gratiarum actionem offeratur, aliud denique in satisfactionem pro peccato, poterunt in interiori actu habere diversitatem, etiam si exterior fortasse interdum idem sit.

10. Secundo loco, explicandum est quænam sit hæc adoratio soli Deo debita, et creaturæ incommunicabilis, tam interna quam externa. In qua re notanda est differentia inter actus internos et externos. Interni enim, quoniam Deum ipsum, ut proprium suum objectum, attingunt vel representant, idcirco ex se et natura sua tales esse possunt, ut ad solius Dei cultum referri valeant; hujusmodi sunt actus fidei divinæ, actus spei, charitatis, pœnitentiæ, et alii similes. Actus vero exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad honorandam creaturam exerceri possint, quod notavit August., d. lib. 10 de Civit., cap. 4; Greg. Nysen., citatus a D. Thoma, in Catena, circa illa verba Luc. 22: *Positis genibus orabat*, ubi sic inquit: *Quia humana natura nihil habet Deo condignum, ideo honorifica signa quæ invicem exhibemus, transsumpsimus ad obsequium incomparabilis naturæ.* Quo fit ut distinctio latriæ soli Deo debitæ ab adoratione creaturæ in his externis actibus potissimum ex interiori intentione pendeat, ut Leontius tradidit in VII Synod., act. 4, circa finem¹.

11. *Quinam cultus soli Deo sit debitus.*—Secundo spectari etiam debet usus; interdum enim actus de se indifferens usurpatus est, et ad solum divinum cultum, vel semper vel plurimum accommodatus; ut nonnulli censent de pectoris percussione, quia est signum petendi veniam peccatorum, quæ a solo Deo expectanda est. Et idem aliqui existimant de hoc verbo, *Miserere nostri*, quia in Litanis

¹ Leontius Corduba sup. dub. 6; et Wal. 3 tom. de Sacramentalibus, c. 117, n. 4.

solum ad divinas personas hoc modo Ecclesia loquitur. Sed hæc non sunt certa, nec semper vera, quia et verba illa possunt in alio sensu proferri, ut per se manifestum est, et infra etiam dicitur; et ab homine potest etiam venia postulari de injuria in illum commissa, et hæc animi submissio posset eodem exteriori signo indicari. Potissimum ergo in his signis externis attendenda est præter intentionem internam publica impositio; nam si hæc signa sufficienti auctoritate et potestate ad significandum Deum et cultum ejus sunt imposita, solum ad divinum cultum usurpari possunt; et si creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria, saltem exterior, si non ex animo, neque ex falsa æstimatione fiat. Hæc autem impositio in vocibus notior est; nomen enim Dei proprie sumptum, aut nomen Creatoris, et similia, solum verum Deum et perfectiones ejus significant; et ideo, si ad creaturam et laudem ejus deputentur, idololatria est. At vero in aliis actionibus, sacrificium in proprium Dei cultum maxime institutum est, teste Augustino, 8 de Civit., cap. 27, et lib. 10, cap. 19, et lib. 20 contra Faust., cap. 21; et Theodor., lib. 8 ad Græcos; D. Thom. 2. 2, q. 84 et 85. Propter quod Exod. 22 dicitur: *Immolans, vel sacrificans nisi Domino soli, eradicabitur*; et propterea monuit Angelus Manue, Judic. 13: *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino.* Et hunc fuisse gentium omnium sensum et consuetudinem, non obscure indicarunt Laodiceni, Act. 14, qui cum errarent, Paulum et Barnabam deos esse existimantes, eis statim sacrificium offerre tentarunt. Est enim sacrificium actio quædam qua res aliqua in Dei honorem mactatur vel consecratur in recognitionem et testimonium supremi domini, et majestatis divinæ. Hanc vero significationem (ut bene August. notavit) ab impositione habet, non a natura; occisio enim vituli de se non significat Deum esse auctorem vitæ et mortis, unde remota impositione non continet divinum cultum: tamen postquam imposita est, jam habet rationem sacrificii, et divino cultui contrarium esset illam alteri offerre. Et ad hunc modum in lege Evangelica, cultus sacramentorum adorationem latriæ continet, et maxime nostrum ineruentum sacrificium, in quo Deus ipse est, qui offertur: et ideo natura, et dignitas talis rei oblatae postulat, ut soli Deo offeratur, quamvis hæc ipsa oblatio, et sacrificium ex institutione ortum habeat.

12. Ex quo tandem colligit Augustinus sa-

cerdotes, templa, delubra, altaria, aras, per se primo soli Deo dicari posse; hæc enim omnia, cum ad sacrificium referantur, latriæ cultum continent. Quomodo autem interdum templa alia hujusmodi ad honorem Sanctorum ordinentur, in sequentibus explicabimus. Dices: esto sacrificium soli Deo offerendum sit, tamen sacrificium non est adoratio, sed actus religionis distinctus, ut sumitur ex D. Thom. 2. 2, q. 84 et 85; ergo inde non habemus aliquam adorationem externam soli Deo dicatam. Respondetur, licet non omnis adoratio sit sacrificium, tamen sacrificium essentialiter esse adorationem, quia offertur in signum subjectionis, et honoris debiti supremo domino, ut D. Thomas, d. q. 84, art. 1, tradit, et art. 3, ait sacrificium inde habere laudem, quod in divinam reverentiam fit; idem autem est divina reverentia quod adoratio. Unde in Scriptura verbum adorandi pro verbo sacrificandi ponitur, Gen. 22: *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Ubi Abraham loquitur, quando ibat ad sacrificandum filium. Et ita etiam multi intelligunt illud Joan. 4: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, etc. Nil ergo obstat, quod D. Thomas in 2. 2, prius de adoratione, in q. 84, postea de sacrificio, in 85, disseruerit; nam communior est adoratio, quæ quoad signa externa peculiari modo per sacrificium exercetur, et ideo oportuit propria quæstione illud explicare. Non inficior solere interdum nomen adorationis applicari ad alias actiones adorandi, quæ neque sunt sacrificia, neque habent alia peculiaris nomina, sicut nomen commune solet interdum accommodari uni rei singulari vel specificæ, quomodo videtur voce usus D. Thom. 2. 2, q. 81, art. 1, ad 1. Sed tamen id solum spectat ad usum vocis; tamen res ipsa et ratio adorationis propriissimæ in sacrificium convenit, solumque in signo externo, seu materialiter, ab aliis actibus propriæ ac divinæ adorationis differt in esse virtutis et cultus, quod est etiam notandum ad intelligendam vim plurium vocum aliarum in hac materia occurrentium.

DISPUTATIO LII,

In tres sectiones distributa.

DE ADORATIONE SANCTIS HOMINIBUS VEL ANGELIS EXHIBENDA.

Duo breviter in hac disputatione tractanda sunt. Primum, utrum adoratio Sanctorum li-

cia sit. Secundum, qualis illa sit vel esse debeat. Loquimur autem de Sanctis vita functis, quos supponimus beatos esse, et cum Christo regnare, ut in 1. 2, quæst. 4, latius probatum est. Quamvis vero oratio seu petitio quemdam cultum contineat, quia vero hic solum in communi de adoratione agimus, ideo quæstionem de Sanctorum invocatione in præsentem remittimus in 2. 2, q. 83; attingemus vero nonnulla inferius, de Beatissima Virgine disputantes.

SECTIO I.

Utrum Sancti, et beati Angeli, vel homines, sint adorandi.

1. *Hæresis adorationem Sanctis negantium.* — Fuit antiqua hæresis, quæ simpliciter negavit Sanctis esse adorationem tribuendam, cujus præcipuus auctor dicitur fuisse quidam Eustathius, Sebastie Episcopus, quanquam Nicephor., lib. 9 Histor., cap. 16 et 45, et Socrates, lib. 2, cap. 33, ejus errores referentes, hujus mentionem non fecerunt. In Concilio tamen Gangrensi, quod adversus illum congregatum est, licet non expresse asseratur, indicatur tamen illum fuisse in hoc errore versatum, nam canon. 20 ita definitur: *Si quis Sanctorum memorias contemnendas putaverit, anathema sit.* Fuit autem multo antiquior hic error, illum enim in Gnosticis reprehendit Irenæ., lib. 3, cap. 20, et eundem fuisse secutum Eunomium et Porphyrium refert Lindanus, dialog. 2; et postea ipsum secutus est Vigilantius, teste Hieronymo, ac deinde Wichleph, teste Walden., lib. 3 de Sacramentalibus, titul. 13. Ac denique Lutherus, Calvinus, Zuinglius, ut ex Prateolo constat, et fere reliqui recentiores hæretici hanc hæresim excitarunt. Nec solum hæretici, sed etiam Gentiles Christianis objiciebant, quod martyres tanquam Deos colerent, ut est apud Euseb., lib. 6 Hist., c. 6; et Cyril., qui hoc de Juliano Apostata refert, lib. 6 contra illum, post med., respondens, *nos non adorare Sanctos ut Deos, sed honorare ut primarios viros.* Idem indicat de hoc Juliano Nazianz., orat. 3, quæ est 1 contra illum, a num. 27, et orat. 10, prope ab initio. Idem nobis objecit Maximus Grammaticus, apud Aug., epist. 43; et Faustus Manich., apud eundem lib. 20 contra Faustum, cap. 21, cujus illa sunt verba: *Idola vertitis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Quin etiam Judæos Sanctorum adorationem, tanquam idololatriæ

vitium in Christianis damnasse, auctor est Euseb., lib. 4 Histor., cap. 15, ubi de more colendi Martyres nonnulla refert. Denique etiam Mahometum idem nobis imposuisse, ideoque omnem Sanctorum cultum prohibuisse, Prateol. refert, verbo Mahometus, num. 7. Fundamenta hujus erroris varia sunt, quæ mox videbimus; unum tamen videtur esse præcipuum, et omnibus commune, quia Sancti nec adorari possunt cultu religioso (hic enim soli Deo debetur), nec cultu, seu honore civili et humano, quia hic honor non datur hominibus absentibus, præsertim mortuis, qui nec vitam politicam nobiscum agunt, nec fortasse quid operemur agnoscunt.

2. *Sancti digni cultu et adoratione.* — Dicendum tamen est sanctos Angelos et homines dignos esse honore, et ideo a nobis esse colendos et adorandos. Hæc est veritas fidei definita a Felice I, cum Concilio Romano, in sua epist. 2 Decretal., et in Concilio Gangrensi supra citato, et in VII Synod., frequenter; ac tandem in Trident., sess. 25; et habet fundamentum in Scriptura sacra, in qua legimus sæpe justos et prudentes homines adorasse sanctos Angelos, et homines viventes ac mortuos, ratione sanctitatis. Sic Genesis 18 et 19, Abraham et Loth adorant Angelos; et Josue 5: *Apparuit ei Angelus in specie viri habens in manu gladium, cui dixit Josue: Noster es, an adversariorum? et ille. Nequaquam, sed princeps sum exercitus Domini; continuo cecidit Josue pronus in terram, et adoravit.* Simili modo Judicum 13, Manue, et uxor ejus, cum vidissent et cognovissent eum, qui locutus eis fuerat, fuisse Angelum, *provi ceciderunt in terram; et Numer. 22, Balaam, pronus in terram, adoravit Angelum; 1 Regum 28, Saul adoravit Samuelem, cum ei post mortem suam apparuit, qui non est ab eo reprehensus; et 3 Regum 18, Abdias adoravit Eliam, quia sanctus erat, et Propheta Domini; et simili modo filii prophetarum adoraverunt Elisæum, quia spiritum Eliæ in eum requieverat intellexerunt, 4 Reg. 2.* Tertio accedit communis doctrina et traditio Sanctorum, Cyril., Irenæ., Nazianz., August., et aliorum quos in principio hujus sectionis retuli; et plura videri possunt in August., epist. 44; et Damasc., lib. 4 de Fid., c. 16; et in concionibus de Sanctis passim hoc docent, et in sequenti sectione, et infra, de reliquiis et imaginibus disputantes, plura Sanctorum testimonia indicabimus. Quarto, ratione, quia honor debetur virtuti, teste Aristotele, 1

Ethic., cap. 5, et lib. 4, cap. 3; et ideo Christus, Joan. 12, justo promittit: *Honorificabit eum Pater meus*, id est, honore afficiet, vel honorari faciet; unde 1 Reg. 2: *Qui honorificavit me, glorificabo eum*; et Psalm. 138: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*; ac denique Paulus, ad Rom. 2: *Gloria et honor omni operanti bonum*; ergo Sanctis debetur honor; ergo a nobis exhibendus illis est hujusmodi honor. Probatur hæc ultima consequentia, quia quod mortui sint, et nobiscum non degant, non illos reddit minore honore dignos, cum sint in feliciore et securiori statu, atque sanctiorem vitam agant, et cum Christo regnent. Et quamvis corporali absint præsentia, tamen spiritu ac mente quodammodo præsentem sunt, quatenus omnia, quæ ad eorum statum pertinent, cognoscunt, et nostrarum rerum curam gerunt, pro nobis orando et intercedendo. Adde etiam, philosophos agnovisse viros probos, etiam post mortem esse honore dignos, ut ex Platone, et aliis refert Euseb., lib. 13 de Præparat. Evang., c. 6 et 7. Denique possumus loqui cum Sanctis, et ad illos orationes fundere, ut suppono ex 2. 2, q. 83, et attingam infra in disputationibus de Beata Virgine, et satis constat ex usu Litanie, quem Gregorius tempore cujusdam pestis induxit, ut refert Walfridus Strabo, lib. de Rebus ecclesiast., cap. 28, et legitur in lib. 1 vitæ ejus, cap. 42, quem usum adhuc Ecclesia retinet, et varia Concilia probarunt, ut constat ex Toletano V et VI, cap. 1 et 2; Brachar. II, cap. 9; et Gerundens., cap. 3, et aliis; cur ergo non erunt etiam a nobis adorandi et colendi?

3. *Objectio.* — Sed objiciuntur nonnulla Scripturarum exempla. Esther enim 3, Mardocheus noluit adorare Aman, cujus facti rationem reddens, c. 13, sic inquit: *Tu nosti quia non pro superbia et contumelia, aut gloria cupiditate hoc fecerim, sed timui ne honorem Dei mei ad hominem transferrem, et ut neminem adorarem excepto Deo meo.* Secundo, Apoc. 19 et 22, cum Joannes vellet adorare Angelum, ille prohibuit dicens: *Deum adora.* Tertio, Act. 10, cum Cornelius vellet adorare Petrum, ipse similiter vetuit, subjungens: *Surge, et ego ipse homo sum.* Quarto, propter hanc causam Sancti sæpe negant creaturam aut Sanctos esse adorandos. Unde in VI Synod., post sess. 18, c. 7, sic dicitur: *Solo Deo creatore suo adorato, invocato Sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur*; et Athan., serm. 3 contra Arianos, fol.

8: *Creatura, inquit, creaturam non adorat*, et D. Hieron., tom. 2, epist. 53 ad Riparium, contra Vigilantium, inquit: *Nos autem non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, et omne nomen quod nominatur, et in præsentem seculo et in futuro, colimus et adoramus, ne serviamus creaturæ potius quam creatori.* Et ad eundem modum loquitur lib. contra Vigilant.: *Quis Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Damasc., orat. 1 de Imagin., in princ., et lib. 4 de Fide, c. 3, ubi omnem rem conditam negat esse adorabilem; et Justin. Mart., Apolog., 2 pro Christian., aliquantulum a principio; Epiphani., hæres. 79, et August., epist. 44, in fine, et super Psalm. 96, circa illa verba, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia*, et lib. de Vera relig., cap. 55, ubi specialiter dicit neminem esse adorandum religionis causa, nisi solum Deum.

4. *Responsio ad objectiones.* — *Civilis et externus honor principibus jure naturali debitus.* — Ad primum respondetur, difficultatem illius loci communem esse hæreticis nobiscum; videtur enim illo exemplo Mardochei probari civilem et externum honorem, qui a principibus, et regibus exigitur, non posse illis honeste tribui; hunc enim honorem, et non alium exigebat Aman. Certum est autem, ipsis etiam hæreticis fatentibus, hoc esse falsum, et contra rationem naturalem, et contra Scripturam, in qua hujusmodi actio et honesta judicatur, et adorationis nomine sæpe appellatur; ut Genes. 23, cum Abraham adoravit filios Heth, et 3 Regum 1, Natham Propheta adoravit David. Unde additio quædam ad Glossam ordinariam dicit Mardocheum non religionis causa, sed inimicitiarum et odii, noluisse adorare Aman. Sed hæc sententia est omnino falsa, et repugnans verbis citatis ipsius Mardochei, de quibus jam dubitare non licet, præsertim post Concilium Tridentinum, ex cujus definitione, sess. 4, constat partem illam cap. 13 esse sacram Scripturam.

5. D. Thom. ergo, 2. 2, q. 84, art. 1, ad 1, respondet Mardocheum noluisse dare Aman adorationem latriæ, quam esse communem expositionem Hebræorum dicit Lyr. ibi, et videtur aperte colligi ex Mardochei verbis. Non caret tamen difficultate, quoniam Aman non latriæ adorationem, sed solum illum honorem, qui supremis principibus exhiberi solet postulare videbatur. Et difficultatem auget, quia, ut ex sacro textu constat, non ipse

Aman, sed rex præceperat eum ab omnibus adorari; non est autem verisimile regem præcepisse ut major adoratio Aman quam sibi tribueretur; sibi autem non postulabat divinos honores, neque enim sacra Scriptura hoc refert, nec legimus Mardocheum vel Esther negasse regi usitatum et communem adorationem. Quin potius, in variis illius libri locis contrarium non obscure significatur.

6. *Mardocheus adorare Aman cur recusavit.* — Cajetan. exponens D. Thom. dicit fuisse morem Judæorum, soli Deo flectere utrumque genu, quod ex 3 Reg. 8 colligit, ubi satis obscure in Salomonis adoratione hoc indicatur. Conjectat deinde hoc adorationis genus fuisse a Mardocheo negatum ipsi Aman, quia cum de hac re accusaretur, respondit se Judæum esse, ac si diceret ad religionem Judæorum pertinere, talem adorationem homini non tribuere. Denique sub dubio relinquit Cajetanus an, pensatis omnibus circumstantiis quæ tunc occurrebant, prudenter se gesserit Mardocheus. Potuisset enim fortasse in aliena regione connivere, et consuetum morem adorandi principes exterius servare, debitam existimationem ac intentionem interius retinendo. Quoniam vero Scriptura sacra factum Mardochei probare videtur, credendum est Mardocheum prudenter egisse, et ne adoratio illa in divini honoris diminutionem, aut in suæ religionis contemptum, vel in aliorum scandalum cederet, merito timuisse.

7. *Angelus ab Evangelista Joanne adorari cur recusavit.* — Ad secundum, August., q. 61 in Genes., dicit talem apparuisse Angelum, ut Deus existimari potuerit, seu Christus, et ideo prohibitum fuisse Joannem ne illi adorationem patriæ tribueret, non ex aliquo errore circa adorationem ipsam, sed circa personam. Idem habet lib. 20 contra Faust., cap. 21. Nec displicet D. Thom. 2. 2, q. 84, art. 1, ad 1; verisimilius tamen videtur Joannem nullam falsam existimationem habuisse, neque patriæ adorationem exhibere voluisse. Præsertim cum admonitus, cap. 19, iterum id contenderit in c. 22. Solum ergo exterius exhibere voluit Angelo summam quamdam adorationem, debita intentione et existimatione interius servata; Angelus autem eam adorationem admittere recusavit, Joannemque prohibuit, non quia male ageret, sed vel ex quadam urbanitate, vel ex singulari reverentia assumptæ humanitatis, ut dicunt Rupert., lib. 10 in Apocal.; Ansel. et Bed., c. 19;

Bonav., in 3, dist. 9, art. 1, q. 15; vel denique ut indicaret consultius esse summam adorationem et submissionem etiam externam summo Deo reservare. Exemplum hujus rei petere possumus ex VIII Synod., cap. 14, ubi dicitur non debere Episcopos ante genua principum secularium ad eos adorandos procumbere, quamvis cum omni modestia illos debeant honorare.

8. *Adorationis nomen quomodo in Scriptura usurpari solitum.* — Ad tertium, Hieronymus contra Vigilantium suspicatur, Cornelium, tunc temporis in fide non satis instructum, divinum aliquid in Petro suspexisse. Sed verisimilius est quod Chrys., hom. 23 in Acta, dicit, et Cornelium recte fecisse Petrum honorando, et adorando, et Petrum modeste etiam et humaniter egisse adorationem recusando.

9. Ad quartum jam supra præcedenti disputatione ostensum est, adorationis nomen de se commune esse, et abstrahere a latria et dulia. Unde fit, in rigore tribui posse honori hominibus exhibito, ut ex usu Scripturæ satis constat, cujus varia testimonia citavimus, et similia sunt Genes. 33, 43; 1 Reg. 20 et 25, et sæpe alias, ut videre etiam licet in VII Synod., act. 1, et 2, et 4, ubi varii Patres citantur, et hæc vocatur, *honoraria adoratio*. Unde Augustinus, serm. 15 de Sanctis, in fine, inquit: *Beatissimum Petrum piscatorem adorant gentium multitudo credentium*; et 10 de Civit., cap. 4, dicit, *homines esse colendos et honorandos, et si multum eis addatur, etiam adorandos*. Interdum vero utuntur Patres hac voce simpliciter dicta, ad significandam per antonomasiam supremam adorationem patriæ. Et hoc modo loquuntur in citatis locis, ut manifeste constat, non solum ex aliis locis, sed etiam ex eisdem; ita enim negant esse adorandos Sanctos ut fateantur esse colendos et invocandos, ad eum modum quo Paul., ad Timot. 1, dicit: *Soli Deo honor et gloria*, cum tamen ad Rom. dicat: *Gloria et honor omni operanti bonum*.

SECTIO II.

Quæ adoratio, et propter quam causam Sanctis tribuenda sit.

1. *Sancti adorari quomodo possint.* — Tres divisiones adorationis supra posuimus, scilicet internam et externam, latriam et dulia, absolutam et respectivam. Quartam vero adde-
dere possumus propter hæreticos sectione

præcedenti citatos, distinguentes cultum in religiosum et politicum. Sed de hac postrema, sectione sequenti dicemus. De duabus autem primis nulla occurrit explicanda difficultas, quia certum est Sanctos et interiori et exteriori cultu honorari posse. Sant enim spiritus qui in Deo ipso vident quæ ad eos pertinent, et ideo spiritualibus mentis actibus coli possunt, sicut et orari et invocari; nos vero, quia corporales sumus, etiam corporis actibus possumus nostrum affectum externum indicare, et ideo externis etiam actibus possumus illos adorare, ut Sanctorum omnium et totius Ecclesiæ usus satis demonstrat, ut etiam in sequenti sectione dicemus, et latriam infra de imaginibus et de reliquiis disputando. Deinde certum est hanc adorationem, quam Sanctis tribuendam dicimus, non esse illam summam quæ soli Deo debetur, et latria nominatur. Quod simpliciter est de fide certum, ut satis constat ex dictis disputatione præcedenti, et in fine præcedentis sectionis. Et ratio est clara, quia excellentia Sanctorum longe inferior est quam divina.

2. Ut tamen hoc melius intelligatur, oportet de tertia illa divisione nonnihil dicere, simulque explicare quæ sit proxima ratio seu excellentia propter quam Sancti a nobis adorantur, an scilicet, sit aliqua excellentia creata, vel potius ipsamet excellentia increata Dei. Et ratio dubitandi est, quia Sancti sæpe hoc posteriori modo hanc Sanctorum adorationem explicare videntur, ut patet ex VII Synod., act. 4, post med., ubi sic Leontius loquitur: *Sanctos veneramus ut amicos Dei, et honor, qui Sanctis impenditur, in Deum recurrit, et qui Martyres colit, Deum ipsum colit*. Quæ verba ab omnibus Patribus Concilii suscipiuntur. Sic Athan., lib. de Virginit., circa finem: *Si homo, inquit, justus aedes tuas intraverit, cum timore et tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius, non enim eum, sed Deum adorabis, qui illum mittit*. Et Basil., orat. in 40 Martyres: *Honor, inquit, quem bonis conservis exhibemus, benevolentia erga communem dominum significationem de se præbet*. Damasc., lib. 4, c. 16: *Is honor, inquit, qui probis conservis habetur, benevoli erga communem dominum animi argumentum est; illi sane Dei promptuaria et pura domicilia extiterunt*; et infra: *Quid igitur afferri potest, quin animatis Dei templis, et vivis Dei tabernaculis honor sit adhibendus?* Significat ergo adorari Sanctos ut templa Dei viva, atque adeo Deum esse proximam rationem adorandi

illos. Unde Hieronymus, dicta epist. ad Riparium: *Honoremus, inquit, servos, ut eorum honor redundet ad Dominum*. Et Ambr., serm. 6, in fine: *Quisquis honorat Martyres, honorat et Christum*. Ex quibus consequens fieri videtur, hanc Sanctorum adorationem tantum esse respectivam, utpote in extrinseca Dei excellentia fundatam, atque adeo ad eandem religionis virtutem pertinere, posseque latriam appellari. Sicut amor, quo diligitur proximus propter Deum, respectivus dici potest, et ex charitate proficiscitur.

3. *Adoratio Sanctorum absoluta, et in propria eorum excellentia fundata.* — Diceudum nihilominus est propriam et usitatum adorationem, qua Sancti a nobis adorantur, esse absolutam, in creata et intrinseca, atque supernaturali excellentia illorum proxime fundatam. Hæc est communis Theologorum sententia, quæ ex D. Thoma hic, art. 3, ad 3, et art. 5, colligitur, et aliis doctoribus, in 3, d. 9, ubi Bonavent., art. 1, q. 5; et ex Adriano Papa, in epist. ad Constant. et Irenem, ubi inquit, *Sanctos a nobis venerari et coli, quod servi Dei sint, et apud Deum pro nobis intercedant*. Unde concludit: *Decet eos honor et veneratio propter justitiam eorum*; quæ epistola habetur in VII Synod., act. 2; sic etiam Euseb., lib. 10 de Præpar., c. 7, ait nos venerari Sanctos, *ut veræ pietatis milites, Deique amicos*; quibus verbis intrinseca et creata sanctitas ipsorum Sanctorum indicatur, et ad eundem modum loquuntur Damasc., Theodoret., August., et alii Sancti supra citati. Ratione vero facile idem probatur, quia gratia et gloria Sanctorum creatum quid est, ipsi Sanctis intrinsece inhærens, ipsosque in excellenti gradu perfectionis et sanctitatis constituens; ergo ratione hujus excellentiæ sunt Sancti digni propria adoratione, quæ absoluta dicitur, quia non in relatione ad aliquid extrinsecum, sed in propria et interna perfectione fundatur, ut explicatum est. Et hæc est adoratio, quam nomine duliæ significari diximus, distinguique a latria, quia in excellentia inferioris perfectionis proxime fundatur.

4. *Honor Sanctis exhibitus cur in Deum refertur.* — Ex quo intelligitur quæ sit mens sanctorum Patrum quos in ratione dubitandi adduxi; nam, quia hæc excellentia Sanctorum nihil aliud est quam participatio quædam divinæ naturæ, quodam modo ad divinum ordinem pertinens, atque ad Dei gloriam ex natura sua tendens, ideo honor, qui beatis datur propter hanc sanctitatem, totus di-